



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

S. Bobo Conf. 23. Maii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**

## S. BOBO CONF. 23. Maii.

**Q**uo tempore Mauri Hispaniâ potiti, Galliam  
 etiam Narbonensem mali vicini terrebant,  
 fuit Bobo noster patriæ suæ propugnaculi instar,  
 homo nobilis ceterâ & militaris, sed qui sub sago  
 tegere sciret virtutem, raram inter milites arma-  
 turam. Fortè hostis Fraxinetum insulam infede-  
 rat, & crebris inde excursionibus multum rem  
 Christianam vexabat. Hic Bobo ducibus Aposto-  
 lorum Petro ac Paulo spolia opima vover, arma  
 non hostis, sed sua: positurum se ista, nec Ducem  
 jam militum, sed pupillorum patronum fore. Ad  
 hæc gratum se quotannis Romam iturum, & li-  
 minibus victricibus osculum laturum. Annuê-  
 Divi, & per quietem visi animos addiderunt Bo-  
 BONI; ille mox militibus, quibuscum per medios  
 hostium cuneos arcem ingressus, non modò ob-  
 sidione hanc liberavit, sed barbarum regem insu-  
 lâ exiit, itaque terrorem à Galliâ longè amovit.  
 Et hic triumphus BOBONIS de hostibus fuit; alter  
 de ipso BOBONE. Fratricidæ obvius, nutante ab-  
 quandiu in vindictam animi acie, sui tandem  
 egregius victor, spoliū ex inimici vultu oscu-  
 lum suspendit. Porro arma exiit, & orphanorum  
 jam Dux annis singulis pedes triumphum suum  
 Romam duxit, dum ex itinere denique mortuus  
 in cæleste Capitolium est invecus. Mortui tu-  
 mulum quotquot animalia calcarunt, in ve-  
 stigio mortua monuerunt incolas, ut eum can-  
 cellis à profanâ terrâ secernerent, & templo ho-  
 norarent. Ossa denique Ticinum translata me-  
 morant, pompæque, quò augustior hæc foret.

lumina è cælo, & stellam adfuisse. *Ex Ferrar.*

*Confirma amicitiam cum SS. Angelis; intra in civitatem Dei: Apostolis Martyribusq; sociare; unde illi gaudent, inde gaudeto. Horum divitias concupiscito, & per bonam emulationem illorum suffragia ambito: cum quibus enim fuerit consortium devotionis, erit & communio dignitatis. S. Leo serm. 5. de Epiph.*

S. SIMEON STYLITES JUNIOR. 24. Maii.

**H**ominem cælestem, an terrestrem Angelum SIMEONEM malis dicere, tantò magis dubitabis, quantò rectius noveris. Voti parentum concessus futuræ sanctitatis vatem Christi anteaambulonem Joannem habuit, cui ne quid in victus parsimoniâ concederet, jejunia in cunis inchoavit, lævo matris ubere, velut omnis causâ, semper abstinens. Sexto ætatis anno ab hominum consortio in loca sola secessit, nunquam tamen solus, cælitibus easdem cum eo casas habitantibus. Ex quo tempore incommoda naturæ, vel non sensit, vel inusitatis fomentis sustentavit, nectare, vel quocunque nomine appellari lubet delicias divinitatis, pastus. Exacto in hunc modum sexennio in cœnobium immigravit, magnâ Religiosæ vitæ commendatione, quam Angelorum contubernio eo factò videbatur antetulisse. Sed nimirum illic quoque Angelos reperit, haustamque eorum usum innocentiam magnis prodigiis affirmavit; ut, cum leopardum pro fele domestico circumduxit, aut cum ad ejus imperium leo puerum à comitibus desertum, tergo ad socios subvexit, quæ magistro SIMEONIS ansam præbuere, eum ad perpetuam in columnis stationem invitandi. Paruit SIMEON, atque corpore juxta animoque supra terram emi-  
nens,